

## PSALMI XLII. DISPOSITIO.

*Anima conturbata. Cervus glocitans. Sitio Deum.*

**T**Ristis est hæc Davidis exulantis querela de suis ærumnis, tum hostium insultationibus, cui interspersum confortans animæ solatium.

I. Desiderium conquerentis fertur (1) ad *Deum vivum*: (2) Modus desiderii exprimitur *Glocitandi Sitiendique* verbô, addita comparatione cum *Cervo sitiente* vers. 2. 3. (3) desiderati restrictio fit, ad locum conventuum publicorum, ubi *vultus Dei* quodammodo conspicuus in umbris arcæ fœderis, lychnuchi, sacrificiorum, &c. vers. 3. (4) Adjunctum desiderii sunt *lacrymæ quotidianæ*: vers. 4. (5) Causa stimula, insultatio sarcastica: *ubi est Deus tuus?* ibid. (6) Stimuli hujus consequens est *Recordatio crebra*: vers. 5. *animæ effusio tacita*: ibid. circa cultus sacri visitationem solennem & venerabundam; ibid.

A II. Solutium consistit (1) in debita inquietudinis repressione: vers. 6. (2) Spei in Deum commendatione; (3) instantis salutis pollicitatione.

III. Querela nova, vulnere animæ quasi recrudescente: ubi (1) animæ ob Deum conturbatio: vers. 7. (2) ad eundem ex locis exilii suspiratio: ibid. (3) miseriarum, instar fluctuum ingravescentium cunctaque obvia absorbentium exaggeratio: vers. 8. quibus (4) opponitur tum divina gratia promissa, tum ejusdem nocturna per cantilenas celebratio, tum devota Dei imploratio: vers. 9. cujus formalia recensentur vers. 10. *o petra mea, cur mei oblivisceris? cur in atrore mihi incedendum?* ibid. cur ob sarcasmos mihi intime dolendum? vers. 11.

B IV. Epilogus, solatium denuo inculcans: vers. 12. quod jam adfuerat: vers. 6.

## PSALMUS XLII.

## EXPLICATIO VERSUS I.

**מַשְׁכִּי** *informans*:) scilicet psalmus, aut eruditione plenus, vel juxta *Junium*. Ode didascalica. Primam hujusmodi inscriptionis sedem vidimus *Psalm. XXXII, 1.* ubi dictum fuit, participium hoc naturam gerere nominis, *Informator*, vel juxta Lutherum clarius in abstracto: *eine Unterweisung*.

**לְבַנֵי קִרַח** *pro filiis Korach*:) fuere hi posterii Korachi, quorum parens, Korachus, erat pronepos Levi, siebatque particeps istius seditionis, de qua *Num. XVI, 1. 49.* in cujus tamen deletionem mirabiliter servati sunt ejus posterii, utpote non consentientes peccato patris, &c. uti constat ex *Num. XXVI, 11.* De genere autem mortis Korachi, item cur, & quomodo, non unâ perierint filii, vide differentem *Bonsferium ad Num. XVI, 35.* Hos porro Korachitas in templô postmodum sacros obivisse cultus, constat ex *1. Par. VI, 33. seq.* ubi & Samuel inter filios Korach recensetur vers. 33. 37. Confer *ibidem cap. IX, 19. XXVI, 1.* & *2. Par. XX, 19.* ubi **קִרַחִי** dicuntur surrexisse ad laudandum Dominum. Hos verò Korachitas cum nonnullis Interpretum constituere velle Psalmorum aliquot autores, (v. g. Psalmi hujus XLII. XLIV. LXV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. LXXXIV. LXXXV. LXXXVII. LXXXVIII. uti facit Sixtus Senensis *bibl. pag. 12.*) id minùs videtur consultum; vel ideò, quod plures hujusmodi Levitæ; ad ministrandum vel cantandum in templô constituti, vix ita conjunctim unius hymni **Θεοπνεύστου** potuerint extare autores, uti hoc ipsum producit quoque *Bonsferius*, quem de hæc materiâ, autoribus videlicet Psalmorum, latius differentem vide in *præfat. Pentat. f. 24. seq.* *Rasche* conjicit, Asir, Elkana, & Abjasaph, parenti non consentientes rebelli, remansisse in mediò hiatu unâ cum locò suò, inibique carmen cecinisse, ceu fundamentum psalmorum horum, vaticinatos etiam postea de captivitatibus &c. Rejicit verò *Kimchi*, qui enim tres illi simul cecinissent hos psalmos? *Aben Ezra* de uno

ex filiis Heman, nepotis Samuelis. Sed & hoc rejicit *Kimchi*, cum sic potius Samuel, quam Corah nominaretur. *Mais* censet, unum ex posteris Kore hunc & 2. sequentes Psalmos in exiliò Babyloniè composuisse, sed & huic jam respondit *Kimchi*. Verisimile proinde videtur, psalmos inscriptione hac honoratos, Korachitis, utpote janitoribus, certò tempore locòque decantandos, fuisse commissos; vel præcentorem illum, cui ad melodiam huic hymno aptandam idem fuerat traditus, è genere fuisse Korachitarum.

## EXPLICATIO VERSUS II.

**כִּימְרֵי צֵבֶה** *sicut cervæ*:) nomen hoc, quod ab **צֵבֶה** aut **צֵבֶה** *robur*, descendit, construitur h. l. cum verbò femininò **צֵבֶה**, nimirum quia nomen est speciei, adeoque generis communis. Alias in femininò **צֵבֶה** deprehendes *Gen. XLIX, 21.* & **צֵבֶה** *Prov. V, 19.* *Ps. XVIII, 34.* *XXII, 1.* *XXIX, 9.* &c. *Femina* factam hic mentionem conjicit *Kimchi* ideò, quod cervæ fortius glocitent maribus. Verum oppidò hoc falsum dicit *Bochartus t. 1. histor. f. 881.* quod contrarium habeat *Aristoteles l. 9. histor. anim. cap. 14.* *ὅτι ἐλπίθει οἱ ὄρρετες τῶν θηλειῶν φθέγονται βαρυτέρων; & rursus: ἔστι δὲ ἡ μὲν τῆς θηλειᾶς φωνὴ βραχυεῖα, ἡ δὲ τῆς ὄρρετος ἔχει μῆκος, h. e. brevis quidem est femina vox, sed maris protractior.*

**גְּלֹעִיתָ** *glocitare solet*:) adhibetur futurum pro tempore præsentem p. 26. Verbum hoc, præter h. l. saltem occurrit adhuc semel *Joel. I, 20.* de bestiis agri seu silvestribus vociferantibus ob rivos aquarum exsiccatos. Ac proinde anhelans innuitur cervorum gemitus ac vociferatio, quando ob fervorem solis æstivi intolerabilem, fitis causâ, flebiles quasi edunt rugitus, vel quando ob deglutitos serpentes, summos in visceribus patiuntur calores, ac proinde sitim vel flammam ejusmodi aquis restinguere allaborant anxie: ita *Aben Ezra*, vel quando canibus insectati, delassatique penitus, vires cupiunt imitaurare potu gelidæ. Ita & David, timidæ ejusmodi cervæ persecutionem gravem passâ, se comparat, imò